Universitätsbibliothek Paderborn

# Historiae Societatis Iesv Pars ...

Pars Qvarta Sive Everhardvs

**Orlandini, Nicola**

**Antverpiae, 1661**

Lector aduerte in elogijs Virorum Illustrium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14186

*LEctor aduerte in elogijs Virorum Illuſtrium, quos his Hiſtorjs complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt, præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum intercesſione diuinitus: demum nonnullis ſanctimoniæ, vel martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia, ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm humanam hiſtoriam Proinde Apoſtolicum Sacr. Congregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè iuxta declarationum eiuſdem Decreti à Sanctiß. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſecluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obſtante quocunque longisſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientisſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.*

N.N.

INDEX